



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censbris.
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](#)

P R A E F A T I O
A D
L E C T O R E M .

BENEVOLE LECTOR.

SA T I S scio, & res ipsa persuadet, quod huiusmodi te cogitatio subitura sit vbi haec aspiceris, quid causæ sit cur post 20. & amplius annos, quibus à LESSI morte in paucorum priuatorum manibus hædere haec scripta, in lucem tandem iubeantur prodire. Falli, nos dices, si nomen LESSI nouum decusque conciliandum existimemus, qui longè accurritoribus, atque ad limam exactis lucubrationibus, consentiente Doctorum calculo inter primos sæculi huius fertilissimi Theologos locum non infimum sortitus est: tum à scopo aberrare quam longissimè, si huiusmodi minus digestis curis, post tot doctissima sapientissimorum Magistrorum volumina in his ipsis, quas damus, materijs, ad plenum publico elaborata, arbitremur nouâ Theologiam luce illustrandam. Recte ais, quicumque ista differis, & habes nos minimè repugnantes. Neque enim ita hospites sumus in LESSIANIS scriptis, quorum ipse dum viueret censor & iudex fuit ut prælo dari possent, ut aut nomini eius quidpiam splendoris accrescere posthumo hoc fœtu, aut Theologiam sub hec tempora longè exultissimam nouis inuentis locupletandam arbitremur. Quid ergo? inquires. Paucis rem habe cuiusmodi haec scripta sint, quorsum, & quibus de causis tam serò edita. Sunt in primis non publico ab Auctore destinata, sed discipulis in scholis praælecta, dum Theologiæ Professorem Louanij ageret ab Anno LXXXV. superioris seculi, usque ad primum nunc currentis. Itaque hunc in ijs sibi praefixit scopum, non ut vndique numeris suis absoluta essent, quibus ad perfectionem addi posset nihil; sed ut ad instructionem, utilitatemque studentium quam maximè foret accommodata. Quod optimè assequi se posse existimauit, si materiam anni unius lectiōnibus praefixam, quo ad angustiæ temporis sinerent, ita totam complecteretur, ut nihil alicuius momenti non esset delibatum saltem, & auditorum meditationi subiectum: quem morem iam inde à LESSII temporibus scholæ nostræ Louanienses hactenus seruant, secùs ac alibi fieri assolet, vbi Magistri ex annuâ materiâ aliquam dumtaxat partem pro arbitrio diligunt, in quam se totos effundunt, alijs interea penitus intactis (vtri conuenientius iam non disputo.) Necesse igitur fuit Lessi huiusmodi docendi viam insistenti multas hinc inde quæstiones obiter perstringere; nonnullas etiam, quæ ad intelligentiam praesentis materiæ non essent omnino necessariæ, intactas transfilire. En tibi ipsissimas causas, quare tanto post obitum viri tempore

pore publico denegatae sint. Vt serunt quidem iam inde ab annis plus
timis, & auctoritate & ingenij laude praestantes viri non pauci, inter
hos frequentissime *Carolus Scribanus* noster, vir omnino magnus,
LESSII aliquando auditor, qui mihi religionē mouebat, nisi hæc euul-
garem; & vt aptius fortiusq; persuaderet, suā ē cælis, quō tunc conten-
deret, opem promittebat. Non defuēre complures qui suo ære ac im-
pensis hæc exequi conceperant; atque vt de *Canoniciis*, *Capitulorum*
Decanis, & alijs taceam, certè *Leonardus Schoofs* nobilis *Abbatia* &
S. Michaëlis Ordinis Præmonstratensis apud *Antuerpienses Religiosus*
Canonicus, *LESSII* è sorore nepos, has *Prælectiones Posthumas* à se &
à dominis *Concanonicis* suis descriptas, prælo mandasset, nisi præma-
tura contagio pium Pastorem, cùm pro ouibus animam poneret, ma-
gno suorum luctu sustulisset. Fuere & alij qui commune quoddam
doctorum hominū hæc scripta legendi desiderium in suis *Bibliothecis* & *Academij* expressere; quorū nonnulla testimonia subnexa in-
uenies. Fauebat etiam horum votis ipse *Præpositus Generalis Societatis nostræ Reverendus* admodum Pater *Mutius Vitellescus*, qui Anno M. DC. XXIII. (ipso nimirum quo *LESSII* lucubraciones, que luce digna indicantur, typis ederentur, Ne, vt ait, de tanti viri laboribus quidquam periret. Verum ne illo tempore ijs fieret satis, (vt alia sileam que intercurrire, bellorum turbines, occupationes distractionesque eorum qui hæc maturandi curam susceperant, aliaque ex his nata) remorata tantisper est hæc consideratio, quod ipse Auctor publico nō parasset, nec eā essent accuratione expolita, quā reliqua viri scripta, inter quæ de ijsdem obiectis nonnulla erant pleniū vberiusque tractata. Quia tamen *Leßiana* claritas, & cetera lineamenta subtilis dilucidæque mentis in ijs apprimè relucebant, quibus per multos capi, delectarique iam dudum constabat, vicit tandem ea pars, quæ diutiū ea super-
primi non oportere, contendebat. Et quid ni vicisset, suffulta cùm es-
set nobili suffragio, patrocinioque eminentissimi *Cardinalis Francisci Barberini*, qui anno huius sæculi trigesimo nono *R.P. Andream Iudoci* nunc flandrobelgicæ *Societatis nostræ Præpositum Prouincialem*, tunc verò Romæ Prouinciaæ Procuratorem agentem, suopte impulsu ro-
gauit, vt, si qua *LESSII* essent Postuma, typis vulgarentur; aut si hoc non fieret, ad se inter manuscripta asseruanda quouis pretio mitteren-
tur. Tantā de *LESSII* doctrina ex alijs eius scriptis opinionē animo co-
ceperat, ingenio iudicioq; acii præditus eximius ille Ecclesiæ Princeps.
Igitur de prælo seriò cogitari cæptum est, hoc præsertim tempore, cùm *LESSIANI* nominis celebritas ex vita integritate, morūq; sanctimonialogè lateq; nouā luce inclaresceret. Atq; utilitas sufficiens visa, si multi, quibus *Leßiana* claritas breuitate mixta placet, & abditæ retrusæque speculations parū cordi sunt, habeant compendiosam quandam ac

) (iii dilucidam

dilucidam Theologię quasi synopsin (nihil enim est aliud , si cum
vastissimis aliorum tractatibus conferas) in quā sine temporis
longi impendio , aut magno labore , quem adhibere , aut non lu-
bet , aut non vacat , nancisci possent , quo sciendi desiderio , aut ne-
cessitati facerent satis . Quin & hęc vna de causis fuit , vt hę modò , p̄e
alijs , *Leßiana* Theologię partes in lucem edantur : quia nimirum ha-
rum scientia (vt pote quę *Calus conscientię* & cetera , quę *Positiva* vo-
cant , maximè complectantur) Parochis , atque animarum curatoribus
magis & utiles sit , & necessaria . Cetera tamen proximè , si res & tempo-
rum iniquitas patiatur , vulgabuntur ; atque ita vniuersā à *LESSIO* ex-
plicatā Theologiā frueris . Habes amice lector voluminis huius eden-
di rationem , ac ordinem . Tuæ benevolentia erit , si quid fortasse oc-
currerit quod penitus discursum optares , ita id accipere , vt memine-
ris , quod antè monui , virum prudentiā eximium , cùm omnia com-
plete non posset , tempori & studentium vtilitati seruire voluisse , alia
p̄e alijs feligendo ; & quasi fœcundum semen iecisse in animos au-
dientium , in quo virtus quidem tota continetur , sed meditatione
interim , quasi vitali quodam calore foueri deberet , vt in plenos se se
fructus efferret . Tum p̄incipiū cogites velim , hęc non tam offerri ijs ,
qui reconditissimas difficultates Metaphysicas usque ad abyssum quā-
dam reiectas videre gestiunt , quām alteri doctorum hominum generi ,
qui planam atque apertam Theologicę doctrinę faciem simpliciori
intuitu contemplari satis habent . Denique rogatum Te velim , vt si
quid in editis iam pridem ab ipso Auctore scriptis nonnihil ab his
diuersum reperias , ne ita id accipias , quasi ipse nō sat sui memor , pug-
nantia inter se statuat ; sed quod nos hęc vti accepimus integra effere-
da potius , quām vel minimum immutata tibi obtrudere , censuerimus ;
scientes tuæ id esse prudentiæ , vt posteriora ab ipso Auctore emendata
euulgataque hisce Posthumis p̄elatus sis .

TESTIMONIA NONNULLA.

*Quām audiē semper expectatae fuerint
Theologicę hęc LESSII Commentationes.*

IUSTVS LIPSIVS inter litterarum principes nominatissimus , iam inde ab
anno seculi huius sexto , & vitę suę ultimo , testamentarias de *LESSII*
Theologicis commentationibus tabulas consignauit , quas hęc velut ad tu-
mulum religiosè appendo . *Ante quindecim dies , inquit scriptis ad LESSIVM*
litteris , nescio quid panxi in Theologica tua , quę multi expectamus ; hic exscripti , ne qua-
lecumque mibi pereat , & indicium saltem meum consignet .

I N